Quelle: https://manuscripta.at/?ID=37127
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift





illū herodes cū exercitu suo z illusit induto veste alba z remisit ad pilatū
Et facti sunt amici herodes z pilatus in ipsa die nam ante inimici erant ad invicem
Pilatus autem cum principibus sacerdotum z magistratibus z plebe dixit ad illos
Obtulistis mihi hunc hominem qui auertebat populum z ecce ego coram vobis interrogans nullam
causam invenio in homine isto ex his in quibus eum accusatis sed nec herodes Nam remisi vos
ad illum z ecce nihil dignum morte actum est ei emendatum ergo illum dimittam
Necesse autem habebat dimittere eis per diem festum unum vinctum Exclamauit vero tota turba
dicens Tolle hunc z dimitte nobis barrabam Qui erat propter seditionem factam in ciuitate z homicidium missus in carcerem Iterum autem pilatus locutus est ad illos volens
dimittere iesum At illi succlamabant dicentes Crucifige crucifige eum Ille autem tertio
dixit ad illos Quid enim mali fecit iste Nulla causam mortis inuenio in eo
Corripiam ergo illum z dimittam At illi instabant vocibus magnis postulantes ut
crucifigeretur Et inualescebant voces eorum Et pilatus adiudicauit fieri petitionem
eorum Dimisit autem illum qui propter homicidium z seditionem missus fuerat in carcerem
quem petebant Iesum vero tradidit voluntati eorum Et cum ducerent eum apprehendere
simonem quendam cirenensem venientem de villa z imposuerunt illi crucem portare
post iesum Sequebatur autem illum multa turba populi z mulierum quae plangebant z
lamentabantur eum Conuersus autem ad illas dixit Filie hierusalem nolite flere
super me sed super vos ipsas flete z super filios vestros Quoniam ecce dies venient
in quibus dicent Beate steriles z ventres qui non generauerunt z vbera quae non lactauerunt
Tunc incipient dicere montibus cadite super nos z collibus operite nos quia
si in viridi ligno hoc faciunt in arido quid fiet Ducebantur autem z alii duo nequam
cum eo ut interficerentur Et postquam venerunt in locum qui vocatur caluarie ibi crucifixerunt
eum z latrones unum a dextris z alterum a sinistris Iesus autem dicebat pater
dimitte illis quia nesciunt quid faciunt Diuidentes vero vestimenta eius miserunt
sortem Et stabat populus expectans Et deridebant eum principes cum eis dicentes
Alios saluos fecit semetipsum saluum faciat si hic est xpus dei electus Illudebant autem ei z milites accedentes z acetum offerentes illi dicentes Si tu es rex
iudeorum saluum te fac Erat autem superscriptio scripta super illum litteris grecis z latinis
z hebraicis Hic est rex iudeorum Unus autem de his pendentibus latronibus blasphemabat eum dicens Si tu es xpus saluum fac temetipsum z nos Respondens autem
alter increpabat eum dicens Neque tu times deum qui es iudex damnatus Et nos